Fragmentarium

[…] dolos danaum […]

Iamque due stabant acies fulgentibus armis.
Dux paris excicium troie funestaque flamma.
Armatum auerso menelaum ex agmine cernit.
Seque uelut uiso perterritus angue recepit.
Ad socios amens. quem postquam turpiter hector
Confusum terrore uidet. o dedecus inquit
Eternum patrie. generisque infamia nostri
Terga refers. at non dubitabas hospitis olim
Expugnare thoros cuius nunc defugis arma.
Ut quid times ubi sunt uires. ubi cognita nobis
Ludorum quondam uaria in certamina uirtus
Hic animos ostende tuos nihil adiuuat armis
Nobilitas forme. duro mars milite gaudet.
Dum iaceas in amore tuo nos bella geremus.
Scilicet et nostrum fundemus in hoste cruorem
Et qui aduersis tecum concurrat in armis.
Impiger atrides spectet danaumque frigumque
Depositis populus telis uos federe iuncto
Aduersas conferte manus decernite ferro
Dixit. quem contra paucis priameius heros
Quid nimis indignus inquid me uocibus urges
O pater germane decus nostrum nec mi conuir
Parua que luxuria est pocior uirtutis honore
Nec uires temptare uiri dextramque recuso
Dum mihi uictorem coniux cum pace sequatur
Dicta refert hector. placuit sentencia cunctis
Prior accurrit priamus. sacrisque peractis
Federa iunguntur posthec discedit uterque
Depositis populus telis campusque patescit.
Interea toto procedit ab agmine troum
Pulcher alexander clipeoque insignis et hasta
Quem contra paribus fulgens menelaus in armis.
Constitit et tecum mihi sunt certamina dixit
Nec longum nostra letabere coniuge que te
Mox rapuit regem tantum mihi iupiter adsit.

· Pindarus Thebanus

5

Fragm. lat. 402-2

Universitäts-Bibliothek Leipzig

License: cc-by – Leipzig, Universitätsbibliothek, Fragm. lat. 402, Bl. 2: 2r – Baebius Italicus, Ilias Latina
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-qiwt/386/5618)